

bus auctoritate præcipua, apud Lacedæ-
mones ciuilis disciplina, quasi magiste-
rium obtigerat, indignabundus exurgit:
Et quis, inquit, vos error præcipitat & ci-
ues? aut quæ nam reliqua spes salutis huic
vrbi est, si talibus consiliarijs aditum ape-
rimus: quod si consilium placet, oro ne id
fœdari consultoris infamia patiamur. Si-
mul his dictis, virum quendam fortissi-
mū, atque cōspiciuæ famæ sed pigri & ina-
mœni sermonis protraxit in medium,
consensuque atque hortatu vniuersæ
concionis, idem illud consilium enuncia-
tione quidem rudi, & incomptis verbis
adegit exprimere, quo factō & primi, au-
ctoris suppresso nomine, plebiscitum ex
indeferti sententia factum est: atque hoc
nobile & illustre consilium, & huiusce-
modi rei suasorem prudētissimum senem
vocat A. Gellius, qui hanc historiam
Aeschinis Eloquentissimi viri orationi-
bus scriptam refert.

XENOCRATES.

Quam voluptatis patronus Epicurus,
tām hostis Xenocrates, nec minus
loquendi quàm agendi abstinens: Hic er-
go, cum casu inter maledicos quosdam
foret, atque illis ex more obtreantibus